



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**MDCLXXXVII**

Q. 118. De gratia, quæ datur in confirmatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

quod sicut milites ad pugnam corporalem, solent insigniri signo ducis, sic in hoc sacramento insignimur signo crucis, in quo Christus Dux, & Rex nosse triumphauit, ut dicitur ad Coloss. 2. Confirmatur: nam allata forma exprimit causam principalem, & instrumentalem, actionem ministrum, materiam proximam, ac finem sacramenti, adeoque est maximè conueniens.

2. Allata forma confirmationis non solum est sufficiens, sed etiam est necessaria, ita ut nulla alia sufficiat, quæ non habeat significationem æquivalentem. Ratio est, quia Concilium Florentinum assignans materias, & formas sacramentorum, assignat materias, & formas essentielles, ac necessarias. Aliquando tamen Apostoli ex speciali instinctu Dei dabant plenitudinem Spiritus Sancti quibusdam alijs miraculosis signis à Deo effectis sine materia, & forma consueta confirmationis. At cum confirmabant modo ordinario, utebantur materia, & forma consueta, iuxta dicta quæst. 115, num. 3.

3. Licet in baptismo per formam exprimitur solum actus baptizandi, dicendo, *ego te baptizo*, tamen in confirmatione debet exprimi non solum actus confirmandi, dicendo, *confirmo te*, sed etiam actus signandi, dicendo, *signo te*. Ratio est, quia baptismus ordinatur solum ad internam sanctificationem hominis: ergo sufficit, ut exprimat actum baptizandi, quo homo sanctificatur interius. At confirmatio ordinatur non solum ad hominem interius sanctificandum per plenitudinem gratiæ, sed etiam ad pugnam exteriorem; ergo debet exprimi actus etiam signandi exterius signo Crucis, quasi vexillo Christi. Confirmatur: nam verbum baptizandi sufficienter significat non solum internam sanctificationem, sed etiam externam actionem abluendi; ergo non debet aliud addi: at verbum confirmandi non significat sufficienter externam actionem signandi; ergo debet exprimi, dicendo *signo te*. Ad alias quæstiunculas, in quibus queritur, *an*, & quomodo debeat exprimi persona confirmantis, & confirmati, actio ministrum, & tres Personæ diuinæ, respondendum est proportionaliter, ac quæst. 87. & sequentibus responsum est similibus quæstionibus circa formam baptismi.

### QVÆSTIO CXVII.

#### De charactere confirmationis.

S. Tho. quæst. 72. art. 5. & 6.

1. **D**E fide est in confirmatione imprimi characterem, ut docet Florentinum, in decreto pro Armenis, & colligitur ex traditione Ecclesiæ. Ratio est, quia omnia sacramenta, quæ constituunt hominem christianum, vel in certo gradu christiani, imprimunt characterem, quo homo confirmatur intrinsecè christianus, vel in certo gradu christiani; sed sicut baptismus constituit christi-  
num, sic confirmatio constituit militem Christi; ergo sicut baptismus, sic confirmatio debet imprimere characterem. Ex eo, quod confirmatio imprimat characterem, sequitur quod non possit iterari, ex eo quod non possit iterari, inferitur à posteriori, quod imprimat characterem; siquidè initerabilitas est proprietas quarto modo, & conuertibilis sacramentorum imprimentium characterem. Confirmat S. Thomas art. 5. Nam character est spiritualis potestas ad quasdam sacras actiones exercendas ordinata; sed homo per sacramentum confirmationis accipit nouam potestatem ad pugnandum contra hostes fidei, ut patet in Apostolis, qui accepto Spiritu Sancto egressi sunt ex cænaculo ad profitemdam publicè fidem; ergo homo in sacramento confirmationis debet accipere nouam characterem.

2. Character confirmationis necessè præsupponit characterem baptismi, ita ut non est baptizatus, non possit validè confirmari, & si confirmetur, nihil recipiat, ac debeat rursus post baptismum confirmari. Ratio est, quia sicut augmentum se habet ad generationem, sic confirmatio ad baptismum, sed repugnat, ut qui non est generatus, accipiat augmentum, & perueniat ad ætatem perfectam; ergo repugnat, ut qui non est spiritualiter regeneratus per baptismum, spiritualiter crescat per confirmationem, & accipiat characterem. Licet sacramentum confirmationis, eiusque character non possit accipi ante baptismum, tamen eius effectus, hoc est, robur ad pugnandum spiritualiter, & ad profitemdam fidem, potest accipi ante baptismum, & ante confirmationem, siquidem virtus uina dandi gratiam non est alligata sacramentis, ac de facto multi catechumeni fidem publicè professi sunt, & pro ea sanguinem proferunt; sed sicut nullus adultus effectum primum baptismi recipit sine voto baptismi, effectum est quæstione sic nullus adultus effectum confirmationis recipit sine voto confirmationis. Porro qui actorum 10. dicuntur accepisse Spiritum Sanctum, ante quam baptizarentur, acceperunt quidem ante baptismum effectum, non autem sacramentum confirmationis.

### QVÆSTIO CXVIII.

#### De gratia, que datur in confirmatione.

S. Th. quæst. 72. art. 7.

1. **D**E fide est in sacramento confirmationis conferri gratiam sanctificantem, sicut in alijs sacramentis nouæ legis. Probatur Nam per confirmationem datur Spiritus Sanctus; sed Spiritus Sanctus non datur sine gratia sanctificante; ergo per confirmationem datur

datur gratia sanctificans; ideoque Melchiades in epistola 2. ad Episcopos Hispaniarum dicit: Spiritus Sanctus in fonte baptismi plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Probabilius est sacramentum confirmationis conferre maiorem gratiam, quam baptismus, ut docet Suarius disp. 34. lect. 2. citans Magistrum, S. Thomam, Scotum, & alios. Ratio est, quia per sacramentum confirmationis dicitur conferri plenitudo, & perfectio gratiæ conveniens ætati virili, & perfectæ, per sacramentum baptismi confertur gratia conveniens ætati puerili; sed gratia conveniens ætati virili est maior; ergo &c. Ideo videtur Apostolis multo maior gratia data fuisse, cum acceperunt Spiritum Sanctum in die Pentecostes, quam cum baptizati sunt.

2. Sacramentum confirmationis non potest per se conferre primam gratiam; neque per se potest remittere peccatum originale, vel mortale personale, ut cum S. Thoma art. 7. quæst. 72. ad 2. docent omnes. Ratio est, quia illa sola sacramenta possunt conferre primam gratiam, quæ sunt instituta ad transferendum hominem à statu peccati mortalis ad statum gratiæ; sed ad transferendum hominem à statu peccati mortalis ad statum gratiæ instituta solum sunt sacramenta baptismi, & penitentia; quæ idcirco vocantur sacramenta mortuorum; ergo confirmatio, & reliqua sacramenta, quæ appellantur vivorum, non possunt per se conferre primam gratiam. Addit S. Thomas art. 7. ad 2. ex ipso nomine confirmationis patere, quod hoc sacramentum debet dari ad confirmandum quod prius inveniit, & ideo sicut non datur non baptizatis, sic non debet dari adultis peccatoribus, nisi per penitentiam reparatis; unde dicitur in Concilio Aurelianensi, & habetur de consecr. dist. 5. cap. ut ieiuni: ut ieiuni ad confirmationem veniant; ut moneantur confessionem facere prius, ut mundi donum Spiritus Sancti valeant accipere. Probabile tamen est, quod licet sacramentum confirmationis non possit per se conferre primam gratiam, tamen potest illam conferre per accidens, adeoque quod si existens in peccato mortali, sed id inuincibiliter ignorans, acritus recipiat sacramentum confirmationis, recipiat gratiam sacramenti, & per accidens iustificetur, ut docet S. Thomas hic quæst. 72. art. 7. ad 2. & ex eo Suar. disp. 14. art. 2.

3. Sacramentum confirmationis ultra gratiam sanctificantem communem omnibus sacramentis confert aliquam gratiam sacramentalem propriam ipsius, quæ consistit in specialibus auxiliis ad fidem constanter profitemdam, & conseruandam etiam aduersus hostes visibiles fidei. Si recipiatur in statu peccati mortalis, est validum, & informe, & remoto obice, confert suum effectum, proportionaliter ad ea, quæ quæst. 111. dicta sunt de baptismo. Ut qui sunt in peccato mortali recipiant dignè sacramentum confirmationis, sufficit, ut præmittant actum contritionis, non est necesse ut præmittant confessionem sacramentalem;

Tom. III.

siquidem præceptum præmittendi confessionem sacramentalem est speciale pro eucharistia, propter illius sacramenti excellentiam, iuxta illud Apostoli primo ad Cor. 11. probet, autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat.

QVAESTIO CXIX.

De suscipientibus confirmationem:

S. Thom. quæst. 72. art. 8. & 9.

1. Omnis homo baptizatus, siue infans siue adultus, siue masculus siue femina capax est sacramenti confirmationis, ut docet S. Thomas hoc art. 8. quæst. 72. aliisque communiter. Probatur ex vtu, & traditione ecclesiæ. Nam in actibus Apostolorum legitimus Apostolos sine exceptione imposuisse manus baptizatis; ideoque Urbanus Papa, ut refertur de consecr. dist. 5. cap. 1. dicit: Omnes fideles per manus impositionem episcoporum Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent. Rationem asserit S. Thomas. Nam per confirmationem promouetur homo ad ætatem perfectam; sed sicut natura per se intendit, ut omne, quod generatur, perueniat ad ætatem perfectam, nisi per accidens morte præueniatur, sic Deus, cuius perfecta sunt opera, vult ut omne, quod per baptismum regeneratur, perueniat ad ætatem perfectam; ergo omnis per baptismum regeneratus debet confirmari. Sicut verò quia anima est immortalis, adeoque incapax senectutis, & pueritiæ, potest aliquis in ætate senili corporis spiritualiter renasci per baptismum, sic potest spiritualiter peruenire ad perfectam ætatem in ætate puerili corporis.

2. Licet sacramentum ordinis non debeat omnibus conferri, tamen sacramentum confirmationis debet omnibus conferri. Ratio est, quia sacramentum ordinis est institutum ad hoc, ut in ecclesia detur distinctio membrorum, puta aliqui habeant rationem capitis, aliqui rationem manus, aut pedis; sed in corpore non omnia membra debent esse caput &c. ut docet Apostolus 1. ad cor. 12. ergo &c. At sacramentum confirmationis est institutum ad hoc, ut quod nascitur, acquirat perfectionem, & excellentiam ætatis perfectæ; per quam excellat sibi ipsi ut puer; sed omne, quod nascitur, debet acquirere hanc excellentiam; ergo &c. Quia verò etiam in ætate puerili potest quis acquirere perfectionem spiritualis ætatis, iuxta illud Sap. 4. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero comparata, ideo etiam in ætate puerili potest homo confirmari, ac multi pueri virtute huius sacramenti vsque ad sanguinem resurgunt. Quia rursus ad pugnam spirituales etiam mulieres sunt aptæ, etiam mulieres debent confirmari, ac quædam mulieres in pugna spirituali fuerunt fortiores viris. Morituris licet non sit necessarium sacramentum confirmationis, quia moriendo effugiunt

F f

peri